2

V. CL.

DN. CAROLI DRELINCURTII,

Christianissimi Regis Medici Ordinarii, nec-non Lugd. Batav. Prof. Primarii Practici atque Anatomici,


EXPERIMENTA ANATOMICA,

Ex

Vivorum Sectionibus petita.

Edita per

ERNESTUM GOTTFRIED HEYSEUM, Dantiscanum.





LUGD. BATAV.

Apud CORNELIUM BOUTESTEYN,

MDCLXXXI.

Nobilissimo, Excellentissimo atque Experimentissimo

DN. CAROLO DRELINCURTIO,

Regis Christianissimi Med. Ord. nec-non in almâ Lugd. Batav. Prof. Pract. Primario, atque Anatomico dexterrimo,

Præceptori de Studiis suis longè meritissimo, debitâ cum observantiâ hæc consecrat

ERNESTUS GOTTFRIED HEYSEUS.



UA sunt, Vir Celeberrime, *quæ oblata vides. Ad* TE *ergò, unde manârunt, placidum expetentia Patrocinium, ultrò redeunt. Non vertes mihi vitio*, Præceptor Honoratissime, *quòd mecum hactenus privatim communicata juris nunc facere publici fuerim ausus. Consensum quippe* Tuum *magis faventem mihi polliceor, ubi flagrans juvandi Studium, quo discere cupientes in Rationis &* Αὐτοψίας *reducere or-*

bitam ardes, apud animum pensito. Labor quidem hactenus quamplurimis incubuit, Observata vel in privatis excipere calamo confestim Collegiis, vel Annotata ibidem rudiora disponere postmodum distinctiùs; sed cùm Curiosos potissimùm animos ea vix reddere contentos viderentur, ipso frui Autographo multis in votis erat; idque eò efflagitabant intensiùs quò Experimenta *potissimùm hæc* Anatomica, *controversiis quamplurimis, quæ moveri circa Lactearum Viaram Origines, Lu-*

sûs,

sûs, Decursûs & Ostia, ut & circa Lumbaris Recepticuli situm, Ductûsque, ab inventore Pecquetiani vocati, divortia, motumque Chyli & Lymphæ in Vasis his conspicuæ, solent, faciliùs decidendis, apta nata judicabantur. Hanc scilicet Lactearum Anatomen cùm nemo sit, qui ex hominum repetere Visceribus, more Herophili & Erasistrati, quos nocentes à Regibus è custodiâ acceptos, cultro subjecisse Anatomico constat, quod & de celeberrimo Vesalio nonnulli persuasum sibi

habent, audeat, hæc Experimenta, *ex multis Animalium hecatombis, quæ Medicis immolare oculis* Tibi *placuit, deprompta, id nos unicè, quod nesciri aliunde potest, docebunt. Dolendum verò summopere venit, superesse tot Observata, tam Anatomica, quàm Practica, quibus per tot annorum decursum sedulus insudâsti, quæque in Artis redigere systema, magni laboris erat, nondum cum Eruditis communicata; quæ, ut prodirent in publicum, multorum jam votis exoptatum*

sæpius

sæpius fuit. Macte igitur, Vir Amplissime, *desideriis tot sollicitantium, & petitionibus toties iteratis audientem* TE *facilemque præsta, quò gratulari Nostræ Arti de noviter affusâ luce magnâ cum voluptate integrum sit atque concessum. Ceterùm accipe,* Præceptor Honoratissimè, *favente animo, quod* Tuum *est, meque, Clientem* Tuum *Observantissimum, propediem, visis Angliæ Luminibus, in Patriam Tuam abiturum, Benevolentiâ pristinâ, quam propensam in me hacte-*

nus

ANATOMICA EXPERIMENTA.

CANICIDIUM PRIMUM.

1 Ligatis cruralibus arteriis, axillarique alterâ atque alterâ, incisâque ſcalpello Carotide ſiniſtrâ ſanguis ſalivit ad Uncias triginta, Quadrantis ſpatio.

2. Fluxu ceſſante, dextra Carotis eſt ſauciata, & ſanguis leniùs parciùſque profluxit.

3. Cruralibus apertis fluxit citra ſaltum.

4. Expirante cane, ſubſultim eructatus eſt.

5. Sanguis univerſè collectus, uncias quadraginta octo pependit. Amiſſam reputo li-

bram unam: ſunt ergò Medicæ libræ quinque, horam intra dimidiam, Arteriis Moloſſi propulſæ.

6. Ex unciis quadraginta octo refrigeratis, ſanguinis erant coagulati libræ tres, ſeri vero libra una.

7. Sanguinis coagulum ſero gravius: ſeri enim libra una altiùs aſſurgit coagulo, ſcutellam inter eandem.

8. Sanguis ille totus purpureus eſt.

9. Axillares ſanguine diſtentæ, auricularis craſſitudinem præ ſe ferebant: exhauſtæ verò longe minus.

10. Arteriis arctatis, necdum recluſis, penduloque Moloſſi Capite extra menſam, veternus illum oppreſſit; At ere-

ᴄto capite, ſiniſtrâque apertâ Carotide, Moloſſus ſeſe concuſſit, exagitavitque.

11. Arteriarum alterâ vulneratâ, alterius pulſus elangueſcit.

12. Ligaturas intra & extrema, ceſſat pulſus: arteriæ nihiloſecius deplentur, ſed ſenſim.

13. Cerâ injectâ dextram in Carotidem, ſalivit ſiniſtra.

14. Extincto Moloſſo, carnes flaccidæ, exangues, depreſſæ, candicantes; viſcera itidem, mole minora, albicantia, mollia, tactui cedentia.

15. Aſcendens deſcendensque cavæ truncus, unà cum Azygo, totus atro grumoſoque, Seri exſorte ſanguine plenus.

 16. U-

16. Ubera congeries ſunt glandularum, milii mole atque duritie, ſed quæ ſerum ſunduntfulvum.

CANICIDIUM SECUNDUM.

1. Coſtis ſiniſtris quatuor ultimis veris à Cartilaginibus liberatis, cordis cono acus eſt adacta, profundè in ventriculum ſiniſtrum; & ſanguis non proſiliit.

2. Cordis conô tranſverſim reſectô, ad levem ventriculi ſiniſtri altitudinem ſanguis ſalivit, primùm quidem multus: mox verò & unaquaque dumtaxat ſyſtole, ad drachmam unam vel alteram.

3. Syſtole eſt, ubi conus aſſurgit ad Baſin: Diaſtole verò eſt, reſtitutio cordis in priorem ſtatum.

4. Quo

4. Quo anguſtius eſt ventriculi ſiniſtri detecti foramen, eo vividius ſyſtole quâvis ſalit ſanguis, modò coni ſpirales circulareſque fibræ ſint reſectæ, non verò ſimpliciter compunctæ.

5. Ventriculi ſiniſtri ſaltu deſinente, illum compreſſi, & ſanguis proſilivit in altum.

6. Dexter interea ventriculus ſanguine turgidulus erat inſtar utriculi. Illo confoſſo ſanguis effluxit, ater quidem, ſed grumoſus nuſquam.

7. Nondum autem confoſſus, non veræ amplius ſyſtoles, atque diaſtoles, ſed formicationis, aut trepidationis motum jucundè nobis exhibuit.

8. Corde ſic utrinque deple-

to, ceram in jeci in conum,illâque diſtentum ſiniſtrum ventriculum compreſſi,& cera,ceu ſanguis foret, rivuloſè profluxit.

9. Cerâ rurſum injectâ cordis in conum, totus ſiniſter ventriculus extentus, firmus & prædurus comparuit: ſed ne hilum quidem ceræ dextrum ventriculum permeaverat.

10. Auricularum motus cordi oppoſitus eſt. Illarum enim ſyſtole fit, dum cor expanditur; & è diverſo.

11. Coſtæ ſuam dumtaxat verſus arthrodiam cum vertebrarum dorſi tranſverſis apophyſibus ſynarthrodialem fragiles erant; ſuas enim cartilagines verſus, flexiles erant.

12. Cani jejuno licet ab horis

ris viginti quatuor, chyliferus ductus Pecquettianus lymphâ ſubfulvâ, ceu gelatinâ, diſtendebatur.

13. Chyli receptaculum commune conſimili gelatinâ opplebatur, lacteæ nihiloſecius omnes evanuerant.

14. Membro ligato, veſica & urethra lotiô turgebant.

15. Aciculis pertuſa veſica urinæ nihil emiſit.

16. Acu craſſiori in illam adactâ, & eductâ, urina pauca ſtillavit.

17. Veſica verò forficibus leviter ſauciata, undique ſeſe contraxit omnemque urinam excluſit. Imo, ſeſe uſque adeo conglobavit in arctum, ut Proſtatarum, ad quas ſe receperat, vix æquaverit Molem.

18. Urethra interim diſtenta remanſit, à ſphinctere ad ligamen.

CANICIDIUM TERTIUM.

1. Acu in cerebelli ventriculum compulsâ, primam inter vertebram, & os occipitis, Canis, ceu Epilepticus, ter, quaterque concuſſus eſt univerſè, ſed mox expiravit.

2. Acu reductâ ſanguis effluxit ad uncias circiter duas.

3. Cane immoto, nec vitam prodente, venæ crurales ſectæ ſunt, & ſanguinis atri guttulæ manârunt.

4. Arteriis cruralibus ſectis, ſanguis ad pedes duos ſalivit; ſed unico ſaltu, mox enim ſubſedit. Nihiloſecius ter quaterve Arteriarum Diaſtole ſtillavit.

5. San-

5. Sanguine ſic fluente, pectus priùs immotum concuſſum eſt: Apertum tamen confeſtim, immobile fuit.

6. * Decuſſis Cervicalibus vertebris, meninges intra ſpinam elongatæ, ſanguine grumoſo atratæ, diſtentæq; ad vertebram cervicalem uſque ſextam, in conſpectum venerunt.

7. Medullaris autem fibroſuſque cervicalis caudex nivei candoris erat, haud ſecus, ac plaga nulla huic ἰνίῳ fuiſſet illata.

8. Diffractâ Calvâ, ſanguinei grumi intra Meningas & juxta vertebralis arteriæ ſurculos, cerebellum atque cervicales interjacebant, ad origines uſque ſinuum lateralium prope torcular.

9. Ventriculi quaterni incruentati; Tota itidem cerebelli atque cerebri interiora incruenta visa sunt.

10. Ren dexter rubeos vermes, unum quidem pollicibus octo & semis longum, & unius drachmæ pondo; alterum autem breviorem, levioremque paulo, conclusit.

11. Anguineo flexu implicabantur; & illorum alter, hirudinis more, versus gemelli Caudam, suum tam altè defixerat rostrum, ut illacerô gemellô nequiverit evelli.

12. Ren totus interior consumptus erat, ad Anastomoses usque pedis anserini, qui mirè nitebat.

13. Pelvis in Ureterem impervia. Coaluerat enim Ureteris caput.

14. Sanguinis vaſa contractiora ſolitò.

15. Ren oppoſitus, ſalubris quidem, ſed major quam vulgò.

16. Haud ita pridem, Caninus ren etiam dexter, lumbricum mihi *ceſſit rubicundum, unciæ unius pondo, atque ſuper pedes duos, ſeſqui pollice longum; conſimili penitus, atque nunc, partium enarratarum ſtatu.

CANICIDIUM QUARTUM.

1. Nervis Recurrentibus utrinque ſectis, ad glandulas thyroeidas, Canis flagellatus latravit quidem: ſed flagris non exceptus, triduum integrum conticuit, etſi præputium funiculo revinctum ha-

 buerit,

buerit, & hypogaſtrium Urina turgidum.

2. Triduô exactô, venæ ſex ligantur, Crurales ambæ, axillaris una & altera, atque jugularis externa; & intra pauca momenta ſuffocatus canis viſus eſt.

3. Laxatis ligationibus, & ſanguine miſſo è vena Crurali ſiniſtra, pectus motum eſt.

4. Sternô à xiphoide ad primam coſtam cum annexis Cartilaginibus revulsô, cor detectum eſt formicans.

5. Venis quinque reliquis jam exſolutis ac recluſis, ſanguis aterrimus effluxit.

6. Arteriis apertis, purpureus & præparcus ſtillavit.

7. Præputii diameter acu filum ducente trajectus, in ſup-

puratum

puratum abiit. Puris autem edacitas filum circa præputium, ſæpius licet contortum atque retortum, arroſit. Die idcircò exeunte tertiâ, effluxit urina, totum triduum prius coërcita, magnâ cum hypogaſtrii atque Colis tenſione inflammatoriâ.

8. Recurrentes utrimque fruticoſiores ſolito, at ſurculi dumtaxat illorum ad Laryngem ſummi, fuerant tranſverſim inciſi. Surculi interea demiſſiores, per Laryngis muſculos longè latèque fruticabantur.

CANICIDIUM QUINTUM.

1. Moroſioris os funiculo ſupra cervicem nodato compeſcui. Ne autem ſuis in excretis ſeſe volutaret: Decimâ ſu-

ſpendi matutinâ, ſeſquidecimâ anus procidit; In tertiam pomeridianam procidentia crevit pedem longa.

2. Horâ tertiâ inverſum devolutumque Rectum reſtitui.

3. Anus patula remanſit unà cum Recto in procidentiam proclivi, uti liquebat inter reſpirandum; quavis enim inſpiratione trudebatur deorſum, extrorſumque.

4. Muſculis ad Cervicem diductis, & apophyſibus vertebræ ſecundæ decuſſis, ſanguis altè ſalivit, Canis ſeſe contorſit.

5. Cruore ſuppreſſo deterſoque, Cervicalis medulla comparuit illæſa. Meningas pupugi; nec vehementius ſeſe movit. Filamenta punxi; pedes poſticos concuſſit.

6. Cane prono, ſupinoque, prorſus immoto, cor patefactum eſt: trepidavit quadrantem.

7. Trepidatio ad extremum ſpriritum in auriculâ & ventriculo dextris major diuturniorque, quàm in ſiniſtris.

8. Cor ex intervallis immotum, ſæpe compunctum eſt, rurſumque trepidavit.

9. Cordis vaſa, generis ejuſdem coronaria, anaſtomoſes habent.

10. Præputium exeſum ulcuſculis ſparſim, univerſè turgidum.

11. Inteſtinorum motus periſtalticus etiam amoto corde luculentus.

12. Cor de pectore revulſum & fodicatum, immobile perſtitit.

13. Rectum in ſuas ſedes retruſum tumebat livebatque pede longum.

14. Arteriæ Renales ſiniſtræ ab Aortâ gemellæ. Unius origo ab alterius ortu tribus diſtabat lineis.

CANICIDIUM SEXTUM.

1. E crurali ſiniſtrâ ſanguinis aliquot uncias miſi, inque cruralem alteram, horæ dimidiæ ſpatio, ſebum injeci ad uncias octo.

2. Periiſſe viſus eſt Canis, ſed attentioribus nobis, pectus ſubſiliit, cordiſque motus ad brevia adhuc momenta ſenſilis fuit.

3. Plagas obligavi, & cadaver pedibus poſticis ſuſpendi.

4. Poſtridie ligati pedes, toti

toti œdematoſi : multa quippe gelatina ſubflava, ad ligaturas uſque concreverat interius.

5. Vaſa aliquot Lymphatica, media crepuerant, reliqua porro ſubfulvâ lymphâ gelatinam referente, inter cutem opplebantur.

6. Sevum adſcendens oppleverat Cavam, ad jecoris uſque ſimas: ſed ad lævam dextramque deflexerat, reneſque totaliter circumdabat, mirâ mole. Venam illam univerſam, ceu tædam craſſiorem, de Cadavere revulſi.

7. Sebum, in cruralem iliacamve ſiniſtram, nullum influxerat.

8. Venæ portarum ſurculi, ſuo cum trunco, depleti, flaccidi, exangues.

9. Cava

9. Cava ſuper diaphragma, uſque adeo turgebat, media propemodum ut creparet.

10. Ἄζυγος Truncus, ſibi cum inſertis ſtolonibus dextris ſiniſtriſque mirabiliter tumebat.

11. Tota inſuper cava deſcendens à capite ad Cor, extremè diſtendebatur: jugulares præſertim internæ, vertebraleſque.

12. Cordis ventriculus dexter ſuâ cum auriculâ ſummè turgebat.

13. Pulmones univerſè flaccidi, contracti, exſucci, atque pericardio leviter agglutinati.

14. Pericardium verò ſeri exors, cordique arctius oppreſſum.

15. Inciſo cavæ trunco, ad

cordis

cordis uſque receſſus intimiores, aliud nihil quàm ſanguis ater grumoſuſque.

16. Illis porro grumis inſuit concretio gelatinæ ſimilis, quæ præexiſtentem polypum atteſtabatur.

17. Ventriculus ſiniſter ſanguinem paucum, grumoſum quidem, ſed minus atrum coërcuit.

18. Aorta exanguis univerſè.

19. Thymus nervos, ſanguineaque vaſa, & numeroſa, & perampla nobis ceſſit. Lymphatica demum flaventia habuit, quæ ſub-clavias in ſiniſtras (nomini ſit venia) confluebant.

CANICIDIUN SEPTIMUM.

1. Ligata ſplenis vena turget

get impendiò à liene ligationem versus: conflaccescit autem, à ligamine ad portarum truncum.

2. Aliquot Mesenterii venæ laqueo strictæ, ab intestinis ad ligamentum, quam maximè turgescunt: à deligatione ad truncum detumescunt.

3. Mesentericæ ligationis expertes quotquot erant reliquæ, nec impensius attollebantur, nec submissius se contrahebant, sed pristinam molem conservabant.

4. Quæ vero fuerant astrictæ, usque adeo intumuerunt, ut arcuatim sese in altum reflecterent, nimiâque sanguinis satietate crepandis proximæ viderentur.

5. Ipso portarum illigato trunco

trunco ad Mesenterici splenicique concursum, omnes ad unum, Mesenterii lienisque surculi turserunt.

6. Laxis omnibus laxatis nodis, suam in jecur saturitatem venæ singulæ confestim eructârunt, detumueruntque.

7. Pectus interea, ab horæ quadrante supra tertiam, in quadrantem supra quintam, altius attollebatur deprimebaturque.

8. Elato, diductoque pectore, in Abdomen sese diaphragma contrudit; annexaque sibi jecur cum folliculo fellis, lienem, & ventriculum diverberat, deprimitque.

9. Pectore depresso, constrictoque, in thoracem sese diaphragma recipit, illoque suo receptu,

receptu, quæ depresserat viscera, secum abripit, revellitque.

10. Viscera de Diaphragmatis fornice sic pendula, sicque concussa, partes & subjectas, tanta reciprocatione concutiunt, pertunduntque, Epiploon puta, Mesenterium, Pancreas, & intestina, cum Renibus substratis, subjectâque vesicâ, atque utero.

11. Una & altera dum effluit hora, vinculis Canem exsolvo: excruciat sese, artûs protendit, atque contorquet, os aperit, vocem bis edit, latratui affinem: Caput duodecies effert; totiesque Cervicem erigit, atque protendit, ceu in pedes sese daturus, sed mox ruit in Mensam, tragœdiæ theatrum.

12. Maxil-

12. Maxillam & artus ita movit, cereum ut accensum, orique insertum contriverit, nec non extento anteriori pede sinistro, ceu de industria, bis extinxerit.

13. Post auditam sesqui quintam, Canis expiràsse videbatur: sed cereo Diaphragmatis in fornicem intruso, nervosus circulus ejus luculenter sese contraxit, cereique flammulam, ceu fornax reverberans, agitavit.

14. Cane tandem penitus immoto, & instante sexta, Cordis apex pedetentim, ad Basim usque per taleolas resectus est; quoties autem lamellæ desecabantur, toties ejus fibræ, (sinistri præsertim ventriculi,) ceu intestina peristalticum motum edentia,

edentia, orbiculatim ſeſe contraxerunt.

CANICIDIUM OCTAVUM.

1. Vaſis, Brevibus dictis, filô interceptis, ventriculum inter lieniſque caput tumor comparuit, à ventriculo ad filum; inanitas verò, à ligatione ad ſplenicam.

2. Gaſtricas conſtrinxi reliquas, tumuerunt ventriculum inter & vincula, detumuerunt autem, à ligamentis ad lienalem uſque truncum, Portarumque Caudicem.

3. Pancreaticæ ſeu Duodenali venæ compedes impegi. Quidquid ultra compedes erat, tumuit, conflacceſcente venâ hepar verſus.

4. Cæcalem pariter in compedibus

pedibus tenui; ſed ab inteſtino Cæco ad ligationem uſque, in tumorem protinus eſt ſublata; communem verò Meſentericum verſus alveum ſeſe depreſſit.

5. Hæmorrhoidalem denique venam levi compede vinxi, ſed dicto citiùs, ſuo cis ligatorium tumore, ſuaque verſus Meſenterium inanitate, idem ac reliquæ conſortes, eſt confeſſa.

6. Canis ab heſternâ veſperâ, in tertiam pomeridianam jejunus in vinculis erat: lactei nihiloſecius per Meſenterium decurſûs, opponendas ſuo fluento valvas à nobis efflagitarunt.

7. Valvis igitur, ceu Cataractis, ad lactearum confluens

objectis, nivei candoris Chylus est lacteis interclusus.

8. Receptaculum vero Pecquetianum subflavâ tursit lymphâ.

9. Consimili lymphâ, gelatinæ æmulâ, tursit & lacteus thoracis ductus, isque non geminus, sed mirè sinuosus.

10. Pressurâ levi universum Chyli conceptaculum cum annexô thoracico ductu, lympham suam omnem, jugularem in sinistram effudit.

11. Reclusis lactearum valvis, tota nivei Chyli coërcita prius congeries Pecquetianam in Cisternam communem, inque Thoracicum alveum, affatim confluxit; & lacteo tumore, lacteâque viâ, sese dedit in conspectum.

CANI-

CANICIDIUM NONUM.

1. Hæc Canis Mammariæ venæ cum Epigaſtricâ, dextras, ſiniſtraſque tam luculentas habet anaſtomoſes, unà cum venis intercurrentibus medianis, ut à ſupernis ad infernas, abſque infernis ad ſupernas, nec non à dextrïs ad lævā & è diverſo ſanguis quoquoverſum digitis adigatur.

2. Cœliacas nodis laxis illigavi, primùm pauló infra lienem, ſecundùm juxta revoluti ventriculi Lunare ſpatium: tertiùm jecoris concava verſus, quartùm pancreatis inter oſtia.

3. Arteriæ primùm ab Aorta ad ligamina diſtentæ ſunt: Secundò lentiùs & obſcuriùs cum infra, tum ſuper ligatio-

nes pulsàrunt: Tertiò Lienem, Ventriculum, Jecur & Pancreas versus, sese pedetentim effuderunt, atque ita conflaccescentes, suâ sensim pulsatione sunt orbatæ.

4. Cœliacis respondentes venæ haud prorsus inanes, flaccidæque, sed dimidiatim plenæ nec extuberantes.

5. Venas illas Gastricas nimirum, Gastro-Epiploicas lienalesque, cum Pancreaticâ, constrinxi, & arteriarum nodos instanter solvi. En temporis puncto, venæ prius demissæ nec extantes super ligamina protuberàrunt.

6. Splenica singulatim, sanguine in tantum exsatiabatur, satietatem ut suam, vinculo soluta, nequiverit eructare.

Com-

Compreſſu tamen leni ſanguinem illum ſuos in fonteis regeſſi.

7. Venarum autem quidquid obvertebatur jecori, id univerſim ita ſeſe contraxit, ut tot fila, non tot venas dixiſſes.

8. Arteriâ itidem Meſentericâ, tum ſuperiori, tum inferiori ligatâ, inteſtinorum tenuium aut craſſorum venas, nec ſaturas, nec jejunas cernere fuit: ſed ligatis illis, arteriâque vinculis confeſtim liberatâ, dictum factum Meſenterici ſuperiores, demiſſioreſque rami, in rotundam, renitentemque duritiem ſublati ſunt.

9. Solutis illis ſanguis univerſè Meſentericum in truncum, blandâ contrectatione, repulſus eſt, uti Th. 6.

10. Attendere eſt, an ſingulis arteriis cum Cœliacis tum Meſentericis, ſic illigatis, & inteſtina ſeſe contrahant, & viſcera conflacceſcant: Nunc ſiquidem, tot deligationibus totque venis obſervandis intentus animus: iſtud unum & alterum minus attendit.

CANICIDIUM DECIMUM.

1. Nervorum in viſcera vagantis, ſextæ Conjugationis ergò, arriſit exangue cadaver: Sanguinem igitur ad lethiferos uſque motus convulſivos, univerſum profudi.

2. Phialam habui, cujus collum ſtrictius, rubrica notatum, pluviatilis aquæ libram unam ſignavit. Sanguis venoſus quidem, ad libræ unius aquæ pluvialis

vialis altitudinem exceptus pependit unciam unam ſuper libram unam.

3. Arterioſus eâdem altitudine Ponderis fuit Uncia una ſupra libram unam.

4. Serum item ſanguinis promiſcui, venoſi nimirum & arterioſi, ponderavit Unciam unam, & libram unam, ſanguinis vero grumi ſero orbi, libram unam & unciam unam ſemis.

5. Incruentum Cadaver nervos ſexti paris, primum quidem numeroſos, non ſimplices, exhibuit Recurrentes.

6. Coſtalem ſubinde ceſſit, cum cervicalibus dorſalibusque, nec non ſtomachicis implicitum.

7. Stomachicos ſeorſùm de-

dit, ſibi nuſquam incubantes: ſed dextrum dextras, levamque ſiniſtrū adprimè tenentes.

8. Rete tandem nervinum ſtomachicis, Recurrentibuſque conflatum, nobis obtulit, è Meſenterii radice, renumque medio, in omnia regionis alvinæ viſcera vagum.

9. Imò, uti Coſtalis cervicalibus dorſalibuſque ex Th. 6. connexus in Brachia ſeu anteriores pedes evagatur: ita, plexus ille retiformis alvinus, cruralibus unitus, pedes in poſticos faceſſit.

CANICIDIUM UNDECIMUM.

1. Moloſſus matutinâ nonâ citra potum, ſecundario pane butyrato ad ſatietatem paſtus eſt. Apertus pomeri-

dianâ

dianâ secundâ, panis frusta medio sui sicca, ventriculus plurima coërcuit.

2. Lacteum alborem, nec in Ventriculo, nec in Intestinis Chylus præ se tulit: sed universus lacteis lactearumque cisterna, atque ductu conclusus, lacte candidior erat.

3. Lactearum Myriades à pyloro ad Extremum Ileum: Numerosiores ab ἐκφύσει & Jejuno: pauciores autem ab intestino tenui, quod Ileon est, scaturiunt.

4. Mesenterium non simplici, sed multifido ductu perreptant; ubi primùm enim aliæ aliis occurrunt, & è duabus tribusve fit una: mox illa eadem una, plures in surculos divaricatur. Illi rursum surcu-

li, communem in rivulum coëunt, donec è rivulis totillis, rivus unus exurgat, qui rivum in alium atque alium confluat.

5. Tot illi rivi Fluvios tandem atque flumina componunt, quæ ſeſe lacteis lymphaticiſque vaſis communem in oceanum effundunt, Pecquetianum volo πανδοχεῖον.

6. Vinculo ſtrictiores lacteæ inteſtina verſus attolluntur. A ligaturis autem ad ciſternam ſibi communem evaneſcunt.

7. Hinc illinc ſua præſertim verſus oſtia, geniculatas ſeſe produnt, linearum trium Mathematicarum ab invicem diſtantia.

8. Genicula tot, averſas inteſtinis valvulas atteſtantur: nullo

nullo enim pressu suos in fontes Chylus refluit; at suâ sponte in receptaculum properat.

9. Lacteis ventriculus, crassaque intestina carent; Absit enim ut vel nervorum fila, vel exangues arteriolæ, quæ prima fronte lacteas mentiuntur Vos deludant.

10. Lymphatica numerosa passim cernere est, sed circa venæ portarum caudicem, cui transversa incubant, luculentissima sese dant in conspectum.

11. Ligata tument à visceribus ad ligaturam, sed à ligaturâ ad Cisternam, visum fugiunt.

12. Lacteis lymphaticisque Receptaculum commune, medios inter diaphragmatis ten-

dinesoblongum exporrigitur, partimque abdomen intra: partim & intra pectus, Chylô vel lymphâ turgidulum extat.

13. Universè sumptum minorem Cyprini vesicam æmulatur, tenuitate pellucet, contentaque prodit. Fundum quod alias, ad ossis sacri primordia contentum vidi, tertium hic lumbarium vertebrarum corpus attingit, suo à cono, pectori obvertitur.

14. Ab illo receptaculi cono, seu contractiore parte, Pecquetianus thoracis ductus in Axillarem usque sinistram, ramulos intercostales, sinistrorsum assurgit.

15. Uti autem surculis substernitur intercostalis arteriæ, ita sinistris, & ἀζύγῳ stolonibus incu-

incubat, idque præcise juxta corporis vertebrarum dorsi cum costis arthrodiam synarthodialem.

16. Dextras enim costas, illæso ductu, omnes ad unam exarticulavi. At sinistras disjunxisse non potis fui, incumbentis non fauciandi ductus ergò.

17. Paulo ultra Cor, vertebras deserit, atque œsophagum & tracheam arteriam inter, sese evehit, rursumque deflectit ad lævam, quo sinistram, modo, dictam, axillarem, sese subducat.

18. Ligatus supra Cor, Chylum, quo turgebat totus, in Cisternam regeri haud passus est: at illo ligamine soluto, leniterque compresso ductu,

totus affatim Chylùs finiſtram in axillarem confluxit.

19. Ductum religavi oſtia ſua verſus, Chylumque à fontibus leni compreſſu repetivi, ſicque ductus rurſus chylô turſit.

20. Turgidulum ſuos & ad fontes illigavi; atque ſic ſurſum & deorſum illigatum, chyloque tumentem, de Thorace revulſi.

21. Ejus oſtia, ſeu partem ſupernam, de filô ſtringente ſuſpendi. Origines, ſeu partem infernam, ſecui tranſverſam, ſed chyli ne hilum effluxit.

22. Imò ſæpius quam vigeſies à ſupernis ad infernas, digitos appreſſimus; ſed Chyli ne guttulam expreſſimus.

23. Ductu ſurſum deorſum

ſum converſo ad ejus oſtia nunc prona, demiſſaque forſiculam adegi,& ecce ἐν ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ (oculi jactu) Chylus univerſè, ceu liquor ex aperto inverſoque vaſe, præceps devolutus eſt.

24. Supernam inſuper ductus partem, nunc exhauſtam, inflavi; ſed meus ſpiritus ſuper longitudinem Uncialem nuſquam pertigit. Canaliculum variè contrectavi, flatum ulterius ut impellerem, ſed opera mea caſſa fuit omnis.

25. Flatum autem in Canaliculi principium ſimul ac immiſi, totus ilico ductus turgidulus, & perlucens ſurrexit.

26. Tumentem revinxi ſiccandum.

27. Siccatus, obverſuſque

luci,

luci, membranaceas mitralesque suggrundas, seu membraneos semilunaresque limbos, interiùs exstantes conspiciendos dedit.

28. Scalpellus ab imô ad summum canaliculi deductus, valvulas in seriem quadruplicem digestas prodidit octo: quævis enim, ut ita dicam valvularum contignatio duplex fuit.

29. Ille porro ductus suas versus origines crassior est: gracilescit, dum in ostia sua contendit.

30. Hinc notare est valvularum contignationem primam esse secundâ crassiorem, & sic deinceps.

31. Hemicyclum ab uno ad summum obliquè protensum æmu-

æmulantur valvulæ: cum autem ſimplex nulla ſit, ſed ſuam quælibet habeat ſociam è directo, conſequens eſt, ut integro ductu, tranſverſus, extremuſque hemicycli cujuſque limbus contiguum ſibi alterum exoſculetur, unde rurſum ſequitur concurrentes lymbis ſuis tranſverſis hemicyclos, obliquè ſurſum exporrectos, complere cyclum, illumique infernis quidem averſum, ſupernis autem obverſum.

32. Valvulas ſupra Cor falſo negant. Hic ſiquidem uti ſunt infra Cor valvularum conjugatione una & altera; ſic illarum profectò inter axillas & cor, συζυγίαι totidem extant.

33. Una porrò valvularum contignatio Mathematicô ſeſqui-

qui pollice superior est aliâ atque aliâ. Quaternæ igitur contignationes Mathematicum pedem dimidium altæ sunt.

34. Quod si ductûs de Cadavere revulsi longitudo major est, id velim feratis acceptum luculentæ portioni, quæ supra quartam valvularum seriem, valvularum est exors, quæque & axillaris sinistræ contermina fuit, & flatum, de quo Thesi Vigesima secundâ ad unius unciæ longitudinem excepit.

35. Renem dextrum Bursulam verius dixeritis, quam Renem, pependit unciam semis.

36. Illo recluso vivax prodiit rubicundus vermis, pollicibus octo longus, ponderisque drachmæ unius, uti Canicidio tertio Thesi Decima sexta,

ta, Reliquæ igitur Drachmæ tres, vieto marcidoque reni seorsum competunt.

37. Ren ex adverso, tum grandior, tum gravior, octies est, uncias siquidem pendet quatuor cum semisse, mirabiliterque floridus, vegetus & compactus est.

CANICIDIUM DUODECIMUM.

1. Canis noctem insomnis, iracundiorque transigit in vinculis. Mane quævis oblata respuit: Tremit universè, riget Maxilla; instante tertia Butyrum & lagana vorat.

2. Tertiâ lacteas exhibet aliquot ab ἰκφύσει atque jejuno, quæ Chylum suum in cisternam nondum effuderant.

3. Chylo; Lymphaticisque cisterna

cisterna communis, non Chylosa sed Lymphatica.

4 Ductus itidem Thoracicus, non chyliferus, sed roriferus exstitit.

5. Strinxi primò Chyliferum, seu roriferum ductum, ejus ad ostia; Lacteas secundò ad Mesenterii radicem. Tertiò ad Mesenterium medium; quartò quàm proximè intestina.

6. Chylus quarto interceptus ligamine lacteas mirabiliter distendit, illarumque ab intestinorum ambitu prognatas radiculas exhibet, non simplices, sed multijugas.

7. Tot enim radiculæ priusquam per Mesenterium serpant, intestina non deserunt, quin alias aliæ, cum subeant, tum

tum relinquant, uti de lacteis Mesentericis. Canicidio Undecimo Thesi quarta, dictum est.

8. Nusquam autem ab unâ duntaxat intestinorum parte sobolescunt; sed utrimque germinant, sicque dextrorsum & lævorsum Mesenterii faciem supernam, infernamque perreptant.

9. Ligaturâ tertiâ luculentissimus fit lactearum progressus, divisio, congressus; rursumque sejunctio, ac iterata coitio:. Illarum insuper valvulæ produntur, qua parte geniculatim assurgunt.

10. Ligatura secunda Chylum ad ostia Mesenterii coërcuit atque adeo lacteas extremas, illarumque rivos confluentes

fluentes detexit; Chylumque ſuam in ciſternam interdixit confluxu.

11. Ligamine primo ductûs Thoracici ros omnis interceptus eſt: ſed laxato vinculo, tenuior illa lympha frigore concreta nondum, axillarem in ſiniſtram citra digitos appreſſos, uti Canic. undecimo Theſi decima ſexta, ſponte corrivata eſt.

12. Exoluto ligamine ſecundo Chylus in ciſternam, ſuâ lymphâ non penitus exhauſtam depluit; atque adeò, quæ prius lymphatica fuit, mox chyloſa evaſit, uti Canicidio octavo Theſi undecima.

13. Ciſternâ digitis compreſſâ, roriferus ductus, confeſtim albore Chyli, totus repletus

pletus eſt : ſed Chylo in oſtia compulſo ; Canaliculus ille, ceu filum tenuiſſimum comparuit, univerſaque ciſterna, nihil niſi membranas, mutuo appreſſas, ceſſit.

14. Solutâ deligatione tertiâ, Chylo rurſum intumuit ciſterna.

15. Reſoluto ligamine quarto, Chylus paulò ulterius leniterque tetendit, vixque digitis prementibus, ciſternam verſus, compulſus eſt, ſed lactearum anguſtiis coërcitus hæſit.

CANICIDIUM DECIMUM TERTIUM.

1. Catulus, ſuper menſâ extentus citra plagam ullam ipſi inflictam, ex tempore perit.

2. Aperto confestim sterno, ne guttula cruoris funditur, nec pulmones, nec cor, nec diaphragma moventur.

3. Ligavi Chyliferum ductum supra Cor, qua parte vertebras deserit.

4. Eundem & illigavi proximè diaphragma, atque sic Chylum illiùs omnem, ligamine uno & altero intercepi.

5. Mesenterii radicem una cum illius nervis, vasisque sanguineis, nec non lacteis, atque lympham colligavi.

6. Præcrassa lymphatica quatuor descendentem Aortam transversa decurrebant. Valvulis autem geniculata, trium quatuorve linearum Mathematicarum distantia sese prodebant, demumque in commune

Chylo receptaculum quaternis ſeſe diffundebant oſtiis.

7. Reſecui tendines, primùm diaphragma, pleuram ſecundò, Nervum deinde intercoſtalem, Arterias demum coſtales, ſicque chyli Ciſternam, atque canalem plenè detexi.

8. Chyloſa ciſterna, uti Canicidio Undecimò, Theſi Undecimâ, Canalis verò Thoracicus paulò ſuper Diaphragma duarum Unciarum altitudine, ad Baſin uſque cordis, duplex aſſurgebat. Sed Bifidus ille ductus, ſeſe, ſub Cordis baſi, reuniebat, exindeque verſum ſimplex in oſtia ſua ferebatur.

9. Qua parte Canalis ſeu fluvius duos in alveos ſeſe diffundit, inſulam veluti format, Mathematicis longam

lineis quatuordecim, Tribus verò latam. Talem alias insulam rivuli unus, & alter, ab uno alveo, in alterum confluentes trajiciunt. Medianos voco transversosue rivulos.

10. Paulò ultra suum confluvium, œsophagearum glandularum lymphatica recipit, plenis ostiis suam eò lympham, eructantia.

11. Communem illum Canalem unius & alterius concursu conflatum in Axillares diduxi. Unico is, sed patenti hiatu, ad axillaris sinistræ valvulam adaperiebatur.

12. Crescentem Lunam æmulabatur valvula & à sinistris ad dextras ita obvertebatur, ut allabentem, aut compulsum ad sese chylum, aditu interdixerit

dixerit ſiniſtrô, & dextras verſus direxerit. In talem enim valvulam protruſus chylus impingens, ſuum à ſiniſtris in dextr: fluxum inflectit.

CANICIDIUM DECIMUM QUARTUM.

1. Oblongâ, anguſtâque ſupernis quinque coſtarum cartilaginibus inflictâ plagâ, pectus diductum eſt, Viſceraque ſublata, nec non chyliferus ductus ſeorſim ligatus, quam proximè Coſtarum primam.

2. Lacteas ad Meſenterii radicem colligavi.

3. Venam Portarum, omnemque Cavæ truncum, in longitudinem diffidi, exhauſi, per purgavi.

4. Imò, Epiploon, Lienem,

jecur, ſuo cum folliculo, ventriculū Inteſtina craſſa, Renes Diaphragma, Pulmoneſque, cadavere deduxi, omnemque cruorem abſterſi.

5. Lacteæ nihiloſecius æque turgebant, ac ſi nulla vel exhauſta vaſa, vel viſcera ſubducta.

6. Canaliculus Thoracis paulò ſuper Diaphragma, in craſſiorem ſiniſtrum, inque graciliorem dextrum dividebatur.

7. Gracilior dexterque, rurſum ſubdividebatur, ſed mox ſeſe uniebat alter alteri. Suis illis diſiunctione, atque conjunctione Juſulam ſomavit thombolidea, quam mediam intercoſtalis arteria trajecit.

8. Gracilior ille ductus idem, in ſulâ rhomboideâ formatâ;

craſſiori

craſſiori ſiniſtroque ductui ſeſe inſinuabat, ſed mox ab illo ſecedebat iterum, inque eundem denuo relabebatur, multas adeo, tot mæandris illis, inſulas deſcripſit, vide Canicidium Decimum tertium Theſi Nonâ.

9. Ductûs ligamen ſolvi, ductumque compreſſi, & Chylus venâ cavâ diſſiſsâ, effuſus, eſt cruentatus.

10. Colligatas laxavi lacteas, ductuſque Chylyferus, iterato turſit, Chylumque rurſum incisâ cavâ profudit.

CANICIDIUM DECIMUM. QUINTUM.

1. Infernis ſterni Cartilaginibus inflicto vulnere, chyli-

 ferum

ſerum canalem cum œſophagi parte colligavi.

2. Viſcera removi, venas incidi, evacuavi, repurgavi, uti Canicidio decimo quarto, Theſi tertiâ & quartâ.

3. Ductum aperui paulo ultra Diaphragma; & quia Chyli receptaculum patebat inductum ligaminis exors Chyli, ſeu potius lymphæ, leviter concretæ ſubrubræ, dimidiatum excepti cochleari. Judicibus φιλιάτροις ſubacida fuit.

4. Tubulo in Canalem apertum intruſô, lac impuli, aſſurrexitque ductus prætumidus ad ligamen œſophageum uſque.

5. Lympham is concluſit receptaculi lymphæ penitus conſortem de qua Theſi hîc tertiâ.

6. Ju-

6. Jucundo proin ſpectaculo, illam omnem ſubrubram lac ſurſum adegit, ad ſummam uſque canaliculi diſtentionem: lac autem ſedes tenuit infernas. Eundem igitur alveum, inferius quidem lacteum, ſuperius verò lymphaticum ſubrubrum nobis ceſſit.

7. Recluſis alvei biformis valvis, ſeu ductûs relaxato ligamine, liquidorum diſſona congeries, cataractis prorupit iiſdem, novoque compellendo lacti locum dedit.

8. Lac igitur impuli. Nullo tunc negotio valvulam in ſubclaviam impegit, ſed ejus obice repulſum, deflexit in Cavæ truncum, exindeque dextram cordis ciſternam affatim implevit.

 9. Dex-

9. Dextro cordis confoſſo ventriculo, lac vehementius compulſum, cordis illâ ſpecu ſaluit.

10. Ductum universè, ſuis cum flexibus, atque mæandris, ab originibus, ad oſtia deſecui, & adjutori Φιλιάτρῳ tradidi.

11. Origines voco Lacteas & Lymphatica vaſa, quæ numerum neſciunt, quæque in hunc thoracis alveum confluunt.

12. Oſtia nuncupo ejuſdem alvei fines ſummos, ſeu Inſertionem. Siniſtras in venas aut axillares, aut ſubclavias, aut jugulares externas, ſive is ore multiplici, ſive unico patentique foramine illas in venas ſuam lympham ſuumve chylum eructet.

13. Fle-

13. Flexûs demum atque Meandros vocito ſinuoſos illius alvei decurſus, quibus inſulæ formantur, uti Canicidio decimo tertio Theſi nonâ, & Canicidio dicimo quarto Theſi ſeptima.

CANICIDIUM DECIMUM SEXTUM.

1. Lactearum radiculæ ab inteſtinorum univerſo circuitu denſæ & multijuges pullulant, uti Canicidio duodecimo Theſi ſexta &c.

2. Lactearum medianæ quidem plures, ſed multijugæ numeroſiores, quæ denſo confluxu rivulos atque rivos conſtituunt, uti Canicidio undecimo Theſi quartâ.

3. Lacteæ valvulis geniculatim

latim intercisæ uti Canicidio duodecimo, Thesi nonâ.

4. Lacteæ Pancreati quidem & incubant, & succumbunt, sed in illud sese nusquam exonerant, quotquot enim id visceris perreptant, tot profectò serpunt ulterius, inque specum longe remotam, sibique singulis, lymphaticisque communem sese illatebrant.

5. Lacteæ multijuges Asellianum Pancreas intimè subeunt: Hoc est, lacteæ plures sibi mutuo occurrunt, & plurium concursu crassiores factæ, chylosas, lymphaticasque glandulas, ad Mesenterii radicem sitas, permeant, exindeque chylum, atque lympham in commune Pecqueti receptaculum evomunt.

6. Lacteæ

6. Lacteæ porro tot illæ in iſtud Aſellii pancreas antequam ſeſe condant, cruentarum quidem Meſenterii venarum trunco decuſſatim incunbunt; at truncum illum Meſentericum nequaquam ingrediuntur; ſed in Pequeti ciſternam pergunt.

7. Glandulis enim Aſelliani Pancreatis, ungue deglubitis, hoc eſt, tunica ſpoliatis, atque inſuper, ut ita dicam, per laminulas, aut per ſtrata deglutinatis, lacteos cernere fuit rivos, glandulas quidem alluere, ſed in Conceptaculum Pecqueti confluere.

8. Lacteas autem videre eſt, non uni duntaxat venæ portarum trunco, atque Pancreati, ſed & Ventriculo, Inteſtinis

craſſis, Omento, Lieni, Jecori, Renibus, Venæ demum Cavæ penitus denegatas.

9. Veritatis tantæ fidem facturus luculentam, viſcera tot iſthæc ſemovi, uti Canicidio decimo quarto Theſi quartâ, ſed lacteæ nequaquam detumuerunt.

10. Pequetiani ſacculi fundum uſque adeo protenditur, ut limites ſacros contingat: ad os quippe ſacrum exporrigitur, uti Canicidio undecimo Theſi undecimâ eſtis lecturi prænotatum.

11. Lacteus Thoracis ductus ad iter breve bifidus, mox unitur, unitus autem ſuperiorque, gracilior eſt, ſeipſo nondum diviſo, inferiori: haud ſecus ac Canicidio undeci-

om

mo Thesi vigesima septima.

CANICIDIUM DECIMUM SEPTIMUM.

1. Molossus lacteis caruit in Ventriculo, in Jecore, in Liene, in Intestinis crassis, sed numerosas habuit in gracilioribus; Non superficietenus apparent, sed divulsa intestinali communi tunicâ, ab interiori intestinorum velamento Bombycino, ceu à Matrice, vel à solo pullulant.

2. Radiculæ porro tot, ab ipso ortu orbiculatim aliàs, aliàs aliter contorquentur: exinde flexibus illis tot velut insulas signant uti de lacteis Mesentericis annotatum est Canicidio undecimo Thesi quartâ.

3. Ita etiam nunc Mesente-

rium universè lacteis consitum est sinuosis, quarum aliæ in alias confluunt, atque sic flexibus variis, tot rursus Insulas designant.

4. Imò lactearum confluvium insulares & anfractûs habet, hic quippe Carpionis vesiculam haud æmulatur , sed quinque veluti sinubus exporrigitur.

5. Unus quidem superior est, atque lactearum maximam partem excipit, & Aortam descendens totus intersecat, subindeque reliquos in sinûs sese diffundit.

6 Prioris illius postica deductio *secundus* est: hic autem non decussatim, sed rectà supersternitur Aortæ, & post iter per breve mox inflectitur deorsum: atque recurvitate tali

ter-

tertium in ſinum ſeſe dum immittit, Trinacrim veluti, ſeu triquetram efficit Inſulam. Hanc autem lumbaris trajicit arteria.

7. *Tertius* verò *ſinus* & longiſſimus & craſſiſſimus omnium eſt. Aortæ latera ſectatur, mediuſque inter dextrum Pſoam, atque Diaphragmatis tendines verſus ſacrum excurrit.

8. *Quartus* maximi appendix eſt, in Thoracis uſque ductum protenſa.

9. *Quintus* demum maximi continuatio eſt altera, ſed paulò contractior anguſtiorque, deſinit enim in genuinum thoracis alveum: haud ſecus ac ſtrictior veſica in Urethram elongatur.

10. Lactei illius alvei fluentum filis, ceu valvis objectis, ftiti.

11. Omentum Ventriculum Inteftina craſſa, Renes tum veros cum ſuccenturiatos: Lienem & Jecur ex alvinis limitibus exterminavi.

12. Diaphragma Inſuper atq; Pulmones ſuis e ſedibusejeci.

13. Illæſo præterea Corde Mediaſtinum atque Pericardium, excluſi pectore.

14. Sanguinem deinde venoſum & arterioſum omnem ſpongiis abſorpſi.

15. Cavæ truncum, qua diaphragma permeat, illigavi.

16. Reverſus Chyloſum ad alveum, quas ipſi valvas injeceram, patefeci, ſeu ligamen ſuperum inferumque laxavi.

17. Par-

17. Parte infernâ lac immiſſi, & axillaris vena deſcendenſque cava ſublatæ ſunt; cordis & ventriculis dexter aſſurrexit: ſed leniter preſſus ſatietatem ſuam omnem, in pulmonales arterias eructavit.

18. Iteratis è lacte clyſmis, cor rurſus extuberavit, & quotquot pulmonis erant partes deſectæ, tot profecto lac iſtud oſtiolis totidē ſpontaneæ evomuerunt Pulmonis enim vaſa, pulmone licet maximam partem reſecto ex Theſi duodecimâ funditus non dirueram.

19. Dextrum cordis ventriculum, qui tumebat unicè, diffidi; lactea protinus congeries diruitur, conflacceſcente corde.

20. Diffiſſionem in univerſum,

10. Lactei illius alvei fluentum filis, ceu valvis objectis, stiti.

11. Omentum Ventriculum Intestina crassa, Renes tum veros cum succenturiatos: Lienem & Jecur ex alvinis limitibus exterminavi.

12. Diaphragma Insuper atq; Pulmones suis e sedibusejeci.

13. Illæso præterea Corde Mediastinum atque Pericardium, exclusi pectore.

14. Sanguinem deinde venosum & arteriosum omnem spongiis absorpsi.

15. Cavæ truncum, qua diaphragma permeat, illigavi.

16. Reversus Chylosum ad alveum, quas ipsi valvas injeceram, patefeci, seu ligamen superum inferumque laxavi.

17. Par-

17. Parte infernâ lac immiſſi, & axillaris vena deſcendenſque cava ſublatæ ſunt; cordis & ventriculis dexter, aſſurrexit: ſed leniter preſſus ſatietatem ſuam omnem, in pulmonales arterias eructavit.

18. Iteratis è lacte clyſmis, cor rurſus extuberavit, & quotquot pulmonis erant partes deſectæ, tot profecto lac iſtud oſtiolis totidē ſpontaneæ evomuerunt Pulmonis enim vaſa, pulmone licet maximam partem reſecto ex Theſi duodecimâ funditus non dirueram.

19. Dextrum cordis ventriculum, qui tumebat unicè, diffidi; lactea protinus congeries diruitur, conflaccefcente corde.

20. Diffiſſionem in univerſum,

ſum, deſcendentis cavæ truncum inque dexteras & ſiniſtras axillares deduxi, ſicque valvulam lacteis præpoſitam oſtiis, denudavi.

21. Annularis illa digiti magnitudine refert Unguem, ſed falcata eſt, ſive lunata, & cornua habet dextrorſum obverſa, & ſiniſtrorſum averſa, uti Canicidio decimo Theſi duodecimâ.

22. Cornibus igitur utrimque ab axillari ſiniſtrâ ad dextram reflexis, liberum ſanguini refluxum cedit, unàque chylum ad ſe compulſum dirigit in dextras. Chylus enim eo uſque Diaphragmatis arteriarumque motu ſubvectus refluì ſanguinis fluento dextrorſum abripitur.

23. Axil-

23. Axillaris porro ſiniſtræ, vel ſubclaviæ potius analogicè vocitandæ, interiora quidem tenet: at Mediam illam præciſè non occupat: inferius enim tranſverſa magis annectitur, ſicque ſanguis ſiniſtrorſum refluus omnis, illam omnem conſcendit, deprimit, ſupervadit.

24. Pontis igitur ſublicii, ſanguini non quidem ſubterfluo, ſed ſuper jecto vicem exhibet. Lacteis autem oſtiis inani potiſſimùm Thoracis alveo (ne ſanguis in alveum erumpat) ſtricti operculi fertque refertque vices.

25. Sic noſtris oculis valvulâ ſubjecta, alveum chyliferum aliàs, nunc verò lactiferum, ſæpius compreſſi; at quoties

ties compressi, falcatum toties valvulæ spatium inferius, lacte dextras petente superfluo, completum est: sed superfluitatis illius, nihilum quidem, superfluxit sinistrorsum.

26. Lac in Thoracis ductum rursus impuli: & ecce, ejus impetus ad valvulam allidens, totam illam sustulit: sed lac omne dextrorsum deflexit, utpote eo versus valvulam regestum.

27. Animo injectionibus istis exsatiato, valvulam resecui ipsique subjecta Ductus ostia lynceis oculis examinavi.

28. Quà rescissæ valvulæ basis erat, scrobiculi visi sunt unus & alter, obliquitatem præ se ferentes: Ita enim obvertebatur, ut ore minime recto sub

valvâ

valvâ paterent, ſed obliquè, à ſiniſtris ad dextras ſubducerentur.

29. Viſorum fidem facturus planiorem, lactea repetii clyſmata, & amœnum utrimque vidi lacteum laticem à ſiniſtris in dextras, demiſſè quidem ſed impetu ſalientem, utpote qui dextrorſum adſtantes obliquo ſaltu verterit in fugam, illorum enim abdomina petivit.

30. Amœnius meis φιλιάτροις ſpectaculum præbiturus iſti Thoracici ductûs Orificiorum obliquitati naturæ medelam feci; Totam quippe ſiniſtram axillarem firmis digitis lævorſum adduxi, donec oſtia lactea ex obliquo ſitu rectum eſſent nacta.

31. Lacte nunc vehementius

tius injecto eventus voto respondit. Unius enim Cubiti altitudine recta & ostiolis altero atque altero lacteos radios ductus ille jaculatus est. Aquilegum mihi videbantur syphunculi, ex inferiori cryptâ Najades emittentes.

32. Humanis canina si comparo, ideam mihi refricuerunt, suis & vicinia & rotunditate virilium ejaculantium, ultra seminales vesiculas strictè dictorum, quæ liquorem impulsum utriumque, utriumque itidem in Urethram evibrant.

AD LECTOREM.

H*æc paucula suscipe*, Amice Lector, *quæ & Tibi comparare & mihi licuit. Utinam vel aliqualem consequerer copiam aliorum Clarissimi PRÆCEPTORIS mei Experimentorum, quæ annotata possidet de Chylo, de Sanguine & ejus Transfusione, de Bile, de Sero, de Urina, de motu Cerebri, Pulmonum, Cordis, Pectoris, Diaphragmatis, Abdominis, Intestinorum, Ventriculi, Uteri & Vesicæ utriusque; de Symptomatis plagarum Cerebri, Spinæ, Pectoris, Abdominis & Artuum atque sigillatim de oculis vel cæsim vel punctim pertusis citra cæcitatem, de liquoribus injectis in venas Alterantibus, Emeticis, Purgantibus, Venenatis, de injectis præterea in arterias, in fistulam Pulmonis, in Cerebrum in os, in Vesicam*

ſicam, in Podicem; de Arteriis vel inciſis, vel ademptis, vel ligatis, ſive Caroticis, ſive Pulmonalibus, Epaticis, Spleneticis, Meſentericis, &c. de Nervis punctis, inciſis ac etiam commorſis acri aliquo ſeu Topico; de Recurrentibus & Stomachicis interceptis; de Ductu Chyli Thoracico inciſo, vel ligato; de Ureteribus ligatis; de Utero, Liene, Pancreate & Veſiculâ fellis exemptis, de Fœtus Corde mobili, de Ductibus ejus venoſo & arterioſo, de Vaſis ipſius Umbilicalibus, de Placentâ, vel unâ pro ſe ſolo, vel unâ pro ſe & ſuis gemellis; deque tandem Pecorum *Allantoide & Cotyledonibus &c. Hæc uti magnâ luce hiſtoriam perfunderent univerſam &* Phyſiologicam *&* Pathologicam, *ita &* TIBI *Curioſo, & in nonnullis hactenus forſitan hæſitanti, ſatisfactura eſſe nullus dubito. Interea, vale,* LECTOR, *& his mecum fruere.*

FINIS.

